Barcelon
f. 3.
15
835. m 8
10
K Carpenter 1791

EPICEDIUM
In Obitum Desideratissimi Principis
GUILIELMI
Glocestriæ Ducis.
AD
Nobilissimum nec non Amplissimum Dominum,
HENRICUM COMPTONUM
Londinensium Episcopum
Et Dominum Suum Admodum
Reverendum.

DUM Tristes Casus atque Irreparabile Damnum,
Spesque citò raptas Albion Alma gemit:
Tuque pie Antistes, Urbis Dignissime Præsul,
Quæ dudum Monitis facta beata tuis.
Sollicitus Patriæ premis altum Corde dolorem,
Et sacrum Pectus jam nova Cura subit.
Tu faveas, tenuem nec dedignere *Camoenam*,
Indigena Auspiciis quæ nova facta Tuis.
Sit mihi Fas Nunquam, Veniet cum Flebilis hora,
Sed ViVi Laudes Concelebrare tuas.
Nobile tum Memorem genus alto a Sanguine ductum,
Nobilius Meritis Eminuisse tuis

COMPTONI Nomen jam Littora Curva ſonàrunt,
Currit ad extremas Inclyta Fama plagas.
Ac memores Patrem Civili Marte petentem
Mortem, cum Vitam perfida turba daret.
O Fidum Pectus! Tua Molliter oſſa quieſcant.
Exemplar nobis, Gloria Magna Tuis.
Quid Memorem cum Te Princeps ad ſumma Vocaret
Munia, qui fuerit Plauſus in Urbe Tuá.
O quam fauſta bonis vexilla elata fuere,
Preſſit ubi ſanctas ſacra Tiara comas.
Illa dies Veſtris, Pia Gens, digniſſima faſtis,
Cura quibus veri Cultus et ara Dei.
Venerunt Comites Priſcæ Pietatis Imago,
Et Pudor, et Probitas, et ſine Labe Fides.
Sanctus Amor Patriæ, tum Relligionis Avitæ,
Pectore quæ vigilat Nocte Dieq; tuo.
Inprimis inopi Larga Indulgentia Turbæ,
Dona Salutiferâ ſpargere docta manu.
Et faciles cunctis aditus, Vultuſque Sereni,
Quos Linquunt pleni ſemper Amore tui.
Talibus Auſpiciis noſtro dum proſpicis ævo
Quas non det grates Terra *Britanna* Tibi.
Regales Nymphæ teſtes, tibi credita cura,
Sancta quibus monitis pectora firma tuis.
Principis et raptæ, Sidus quæ fulget Olympo,
Conciliaſſe juvat Fœdera ſacra tori.
Germanæque juvat tædas Sociàſſe Sororis,
Unde puer Britonum, Speſq; Dolorq; venit.
Cœleſti cupidis demiſſum Munus ab arce,
Deliciæ nobis Heu nimis inde Breves!
Tu Puerum Lætus Luſtralibus abluis undis,
Arridet dulci protinus ore Tibi.

Certatim

BRITISH MUSEUM

Certatim invadunt totam nova gaudia Gentem
Atque unus totâ Vultus in Urbe fuit.
Per fora, per vicos, per garrula compita, plauſus,
Pulſa ſacris latè turribus æra ſonant.
Cuncta ſibi Populus Pueri ſpondebat ab ortu,
Civis Pacificum, Miles habere Ducem.
Crevit par votis, aſt inſita Semina Cordi,
Annorum ſegnes neſcia ferre moras.
Vixque potens fari Puerûm conſcribere turmas
Juſſit, ſeque agilem comprobat eſſe Ducem.
Artes mirus Amor tenuit perdiſcere Belli,
Prælia ſeu Terrâ, ſive ineunda Mari.
Urbes quâ muniat, quo cingat et ordine Vallum,
Miratur teneram Linea ducta manum.
Geſtiit Imprimis Docilis cognoſcere Normam,
Quâ regit ambiguum navita Puppis iter.
Inſtructaſque rates et vela Cadentia præfert,
Quo tantum' Britonum Claſſis Honore tumet.
Attenti circumſtant, turba perita Magiſtri,
Implent et Monitis Pectora prona ſuis.
Ille capit teneræ mirantur Mentis Acumen,
Mirantur Pueri congrua dicta Seni.
Jamque lubens facilem ſtudiis dat mitibus Aurem,
Et par ingenium, ſi graviora docent.
Quam' decuit, turbâ Procerum ſpectante Palæſtra
Quo movit greſſus it comes uſque decor.
Sanctus Amor Superûm et Patrii Reverentia Cultûs,
Præcipuum viſa eſt Mente tenere Locum.
Sed quid ego infelix perſtringere ſingula tento:
Tot bona, proh miſerum! Quam brevis hora rapit.
Ah quoties genti ſit proprius iſte *Britannæ*
Diximus! At rapidi vota tulere Noti.

Regius

Regius ecce Puer rapitur florentibus Annis,
Angligenûm vastam Spem, Levis Urna capit.
Imperium cui, jam, jam Proxima Sceptra Parata
Egremio Mæstæ tollitur ecce Matris.
Fer Thura et Casiam et Sudanti Balsama Trunco,
Indaque quas Frondes Sylva beata gerit.
Sparge rogum Violis, Immortalique Amarantho,
Dic Heu! Sceptrigeræ quanta ruina Domûs!
Et Mœstum Memori decoretur Carmine Bustum
Manant dum Lachrymis Marmora dura Piis.

Spes Patriæ, Regisque jaces ac sola Parentis,
Quam Linquis Terris, parta Corona Polo est.
En Thamesis Lentam mutilatis cornibus Undam
Volvit, Ferales Tybris at urget Aquas.

Johannes Carpenter

de Riklin *in* Essex.

F I N I S.